

1331 Addit facer textus: Et cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos; calami similiter ducentos quinquaginta; cassie autem quingentos siclos in pondere sanctuarii. Hæc si ad calculos revoces, triginta quinquagenaria siclorum complent; cum autem quinquagenarius, sit numerus Jubilei, cumque decies is repetitus perfectissimum indicet Jubileum; quid ter decies congeminitus quinquagenarius, nisi absolutissimum, & multipliciter consummatissimum, ter maximum Jubileum significaverit? Et nimirum ternarius, est item denarius, perfectionis numerus in sacra Scriptura, quibus & multiplex, & absoluta rei perfectio indicatur: quod ut patentissimum piget exemplis impedire. Igitur quinquagenarius decies, ac rursus tripliciter multiplicatus absolutissimam quandam Jubilei libertatem, lætitiã, atque omnium bonorum restitutionem exprimit.

1332 Certè quidem hunc esse hujusce unguenti mysterium, hocque aromatum signatissimo pretio quingentenario, seu decies quinquagenario perfectissimam illam indulgentiam, libertatem, bonorum restitutionem, possessionis nostræ distractæ recuperationem per Christum D. præstandam fuisse significatam, tum Mosaicæ ipsæ umbræ haud obscure indicabant, in quibus Moyses mysticum unguentum exquisitè componens, Tabernaculumque sanctificans, Christum D. exprimebat, ut S. Cyrillus Alexan. lib. 9. de Tabernaculo explicuit: *Oleum porrò cum aromatibus mixtum significat illam in Christo per spiritum sanctificationem, quæ misericordiam consecutus tribuitur.* Tum Isaias intellexit, atque ipsemet mundi Magister in Evangelio explicuit. Isaiæ verba, quibus Christum loquentem inducit, extant c. 61. à v. 1. ubi grandem quidem sermonem de hoc unguento, deque hoc Jubileo sic instituit:

S. Cyrill.

Isai. 61. 1.

Luc. 4. 18.

Mysticum Jubilæum humana remissionis, & libertatis à Christo.

Levit. 25. 10.

Spiritus Domini super me, eò quod unxit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritiis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino. Quæ Dominus Lucæ 4. 18. ex sequenti uberiori, ac proinde clariori LXX. interpretatione legitur Judæis, addita etiam interpretationis summa. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere contractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptabilem.* Principio, nomine hujus anni accepti Domino, ad annum Jubilei adludi, docent ad hunc locum probi quique Interpretes, Arias Montanus, noster Sanctius, Fererius: & in Lucam S. Beda, S. Bonaventura, Hugo Carensis, Tolemus, Maldonatus, Salmeron to. 4. p. 2. tract. 10. Barradas to. 2. lib. 9. c. 10. & quidem signanter, cum prius dixisset, *prædicare captivis indulgentiam. LXX. remissionem;* Hebraicè, *libertatem,* continenter addit, *annum placabilem Domino:* pro eodem certè habes annum hunc, atque remissionem, seu libertatem. Qui sensus omnino certus est, si Isaiam cum Moyse conferas describentem annum Jubilei Levi 25. vers. 50. *Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitantibus terræ tuæ; ipse est enim Jubileus.* Pro extremis hinc verbis, LXX. reddunt: *Annus remissionis, significatio hæc erit vobis.* Itaque apud Moysen, & Isaiam idem omnino est remissionis annus, atque annus Jubilei. Ac proinde cum

Christus asserit, se venisse Spiritu sancto unctum, ut prædicaret remissionem & annum acceptabilem, mysticum Jubileum humanæ remissionis, ac liberationis intelligit. Adde cætera hinc inde Isaiæ adjuncta, quæ leges Jubilei à Moyse descriptas clarissimè significant. Nec mirum, si noster Pontifex unctum se fuisse dicat, ut prædicaret annum remissionis, & Jubilei, quem adumbravit vetus vocalis totus 366. tintinnabilis summus Antistes; hoc enim numero annum hunc præsignificatum fuisse ait Clemens Alex. 5. Strom. c. 3.

1333 Porrò Evangelici hujus Jubilei annum, etsi docti Interpretes ad totum illud tempus extendant, quo Christus D. inter mortales mortaliter degebat, docebat & prædicabat; placet tamen mihi S. Cyrilli Alexan. sententia, qui dum Isaiæ c. 61. interpretatur, hanc anni acceptabilis prædictam remissionem refert ad annum illum, quo Christus mortem subivit, integramque humani generis remissionem ac libertatem executus est: hanc enim ut prædicaret, unctum se fuisse testatus est. Et quidem certè illud exquisitum est in hoc mysterio, quod Mosaici Jubilei umbra, id est, ultimus annus ille quinquagesimus Jubilei, & legalis remissionis in ipsissimum illum annum incurrit, quo Christus D. per mortem suam sacratissimam humanum genus in veram libertatem asseruit. Observavimus hoc in tabulis Chronologicis Augustini Tornielli, eximii sacrorum Annalium scriptoris, in extrema Tabula sextæ ætatis mundi, Anno Mundi 4083. Christi verò Anno 33. Scio alios aliter sentire: sed nolo hic de re præsertim Chronologica concertare; sed observare, hunc annum placabilem, de quo Isaias, & Christus D. à perisique de Incarnatione, & Domini adventu, ejusque natali exponi. à S. Cypri. lib. 2. Testimonio- rum c. 10. à Procopio Isai. 61. à Cornelio nostro, qui putat Christum natum in fine Jubilei 29. sive ergo natus sit in eo Anno Jubilei, sive tunc passus, in idem mysterium symbolum recidit; utrovis enim modo acciderit, significatus fuit verus Jubileus, veraque remissio per Christum præstanda; eoque aptius symbolum convenit, quò plenius ex amussi umbræ illæ veris imaginibus committi, & conferri videmus; nimirum Domino in ipso Mosaico Jubileo nato, vel passio, qui & legali finem imponeret, & plenior, durabilioremque ordiretur remissionis perfectæ Jubileum.

Jubilei mystici annus, referendus ad annum mortis Christi.

1334 His positis, expositam supra Aromaticum summam, arcanam maxime, liberè pronuntio. Ter enim quingentos siclos complent 1500. id est, triginta quinquagenarios: quo quinquagesimo, quingentesimoque numero supra jam cum Hieronymo, Gregorio & aliis, Jubilei mysterium in sacris litteris significari docuimus. Porrò cum ad hoc unguentum adludens Christus dixerat Isai. 61. & Luc. 4. se unctum esse, ut annum remissionis placabilem humano generi indiceret; tumque re ipsa id divinâ providentiâ sic disposuerit, ut extrema Christi prædicatio in finem 30. Jubileorum quinquagenariorum, id est, in medium ipsum trigessimum Jubileum, incurreret, ecquis erit, qui nostram hanc explicationem rejecerit? qua existimamus, sicut per unguentum illud Mosaicum, mysticum Christi unguentum ab Isaiâ commemoratum, atque ab ipso Domino Luc. 4. expositum significabatur, quo unguento unctum se fuisse professus est Dominus, ut annum

annum Jubilei prædicaret; ita per illos ter quingentos, sive trigecies quinquaginta siclos, quibus id unguentum constituitur dicitur, expressum fuisse numerum triginta Jubileorum quinquagenariorum, per quos ejus unguenti usus permanens erat, donec tum illud sanctissimum Tabernaculum, Mariam nempe, de qua infra, ille sacerdos mystico auro unguento per illud adumbrato ungeretur, qui finem legalibus Jubileis esset daturus, unum hunc mysticum Jubileum præudentibus, quo Christus nos omnes in veram libertatem asseruit, amissamque nobis Paradisi reddidit hæreditatem. Esto operosa sit, artificiosa, ingeniosa expositio hæc, si tamen apta, si apposita, non est quòd illam facile contempserit quispiam, donec diu, multique legendo, cogitando, conferendo, meliorem tandem possit asserere, quam nos quidem libenter auscultabimus. Interim nobis integrum est hujusmodi symbola ad Christi D. Lucem Evangelicam, quam possimus Biblicè atque Evangelicè, devolvere.

Maria perfectissimo passionis Christi amoris, & sapientia pretio empta.

231

1335 Jam ergo ad Deiparam deveniamus. Porrò Marianam sanctificationem eo pretio constituisse, quo Jubileus, isque ter maximus, absolutissimus, plenissimus, nempe omnium superiorum Jubileorum epilogus significetur; quid aliud est, quam perfectissimo passionis Christi, charitatis, atque sapientiæ pretio Marianam præsertim fuisse coemptam? Juvat ex ipso Jubilei nomine, ad quem allusio facta est, mysterium commendare. Nomen Hebraicum *iovel* interpretatur LXX. In preterea Levi. 25. 10. remissionem. Si etiam S. Hieron. Isai. 3. Philo de Nomi. Hebra. S. Nazian. Orat. in S. Pentecostem, Theodo. in Levi. qu. 35. S. Isido. 1. Etymo. cap. 35. Rupertus lib. 2. in Levi. c. 41. Huc pertinet Josephus lib. 3. antiqui. c. 10. ubi Jubileum interpretatur libertatem. Addit Beda binas alias ejusdem vocis etymologias, videlicet *Jubileum*, id est, *initium*, vel *mutatio*, lib. 2. de tabernaculo cap. 2. & hom. in Pentecoste. Recentiores, qui se putant pressius isthæc exigere, interpretantur *latam reductionem*. Sic noster Serarius Josue 6. quæst. 5. ubi reliquis interpretationes ad hanc revocare pergit; quasi læta hæc reductio debitoribus, servis, possessionibusque remissionem, ac libertatem asserat, atque omnia in hunc modum mutando ad sua revocat initia. Eandem rursus interpretationem tuetur Josu. 13. quæst. 14. suffraganturque illi Cornelius Levi. 25. Oleaster, & Ribera.

Perfectissimo ungue, quaque Maria libertas.

1336 Jam hinc hujusce Marianæ Jubilei, per hoc unguenti sanctificantis pretium significati; sublimè quidem mysterium plenius cognoscitur. Aio igitur, eo termaximo siclorum quinquagenario trigecies reduplicato, perfectissimam Mariæ libertatem illam fuisse indicatam, qua per Christi præsertim passionis efficacitatem, & à servitute fuit exempta, & à generali Adami debito immunis reddita, & possessionis Paradisi à primo Patre distractæ Domina, civis, & tultrix perpetua declarata, & ab illo supplicio, inflictaque pœna, in sudore vultus tui vesceris, &c. libera; cum hunc divinæ gratiæ absolutissimum Jubileum festiva quies, atque à servili opere vacatio fuerit Mariæ concessa. Adde, ut Bedæ, & cæterorum Interpretum Jubilei expositiones amplectare; per hunc Jubileum naturam nostram humanam in Maria ab illo mucro prolapsionis statim in meliorem, ac feliciorum fuisse permutatam, ea-

que mutatione suis ultima fuisse restituta primordiis: id enim præ se fert Jubilei nomen *mutatio, initium*, seu *mutatum*, & *initium*, ut observat Beda. Adde etiam, in hoc Mariano Jubileo lætissima, ac faustissima quadam reductione omnia Mariæ bona fuisse restituta; ac proinde dignum festum hoc esse ejus sanctificationis, quod Jubilei tubis, quod festis acclamationibus per universam Ecclesiam proclametur.

Præcipua pars illius unguenti myrrham libertatis, ut multi explicant Exod. 30. 23. Nam pro electæ, est Hebraica vox *deror*, id est, *libera*, seu *libertatis*. Certè hoc nomen sanctum *deror*, non nisi Jubilei quinquagesimi celeberrimam indulgentiam, atque fervorem, possessionum, bohorumque omnium libertatem significare, docti observant scriptores, & exempla extant Levit. 25. Isai. 61. 1. Jerem. 34. 8. & 15. & 17. Ezech. 46. 17. & in hoc Exo. 30. 23. loco. Cum autem in cæteris de libertate Jubilei agatur, vehementer mihi suspicio est, hanc Exodi *myrrham libertatis* eodem symbolicè pertinere, nempe ad mysticam Evangelicæ gratiæ, & Jubilei nostri libertatem. Accedit, quòd tota unguenti hujus compositio eandem Jubilei libertatem aspirat, ut jam probavimus. Accedit etiam, ex Abulenfi quæst. 11. in hoc Exodi caput 30. quod myrrha illa primo loco statuitur, & prima vocatur, quia præcipua pars erat hujusce mystici unguenti, cætera aromata veluti additamenta. Meritò igitur præcipua pars *myrrha libertatis* dicta est, perinde ac totum unguentum à potiori parte cognominaretur *unguentum Evangelicæ libertatis* per Christi passionem adducendæ. Ergo myrrha libertatis, qua primò Deipara sanctificata est, eam significat ab omni peccati servitute liberatam, quasi præoccupato libertatis Jubileo, semper fuisse futuram. Est enim myrrha libertatis, quædam præservatrix libertas, quæ Mariam à communi tyrannide immunem denotat, quæ illi indulgentissimum gratiæ Jubileum præaturæ, præmeditatoque divinitus elargitum indicat; qua denique neque paradisum illa, antiquam Evæ possessionem unquam alienavit, neque bona alia alienum in dominium distraxit.

Maria ab omni peccati servitute liberatissima.

§. X.

De ritu, quo Moyses Tabernaculum sanctificavit: & quæ ille ratione Marianæ sanctificationi aptandus.

1338 **T**abernaculum Moyses divino edoctus spiritu certo ritu sanctificasse dicitur Exod. 40. à v. 1. & Num. 7. à v. 1. Primò, tempus sanctificationis assignatur, nempe *primus dies mensis primi*. Cur eo mense, ac die? Respondet Theodoretus qu. 72. *Propter reà quod eo serè tempore Deus creaturas condidit. Ea de causa Deus etiam sub idem tempus liberavit populum Israel à servitute Aegyptiorum: Et Gabriel Archangelus S. Virgini Mariæ latum nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Christus D. salutarem pertulit passionem. Non immeritò ergo Dominus omnium prima die mensis Tabernaculum erigere jussit, tum quod totius mundi figuram referebat, in ut populus se prepararet ad festum Paschæ, quod primùm celebrare lex præcipiebat Judæis. Doctè ille: neque*

neque est quod præterea aliquid addamus, nisi ut lector rationes hæc Theodoret memoriam teneat, mox profuturas.

1339 Secundò, de ipsa sanctificationis ratione sic Exo. 40. v. 9. Et assumpto unktionis oleo unges Tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur. Vide Num. 7. 1. Cum autem in solemnibus hujuscemodi consecrationibus, status aliquis character soleat designari; quæstio esse poterit, quamnam peculiarem notam eo unguento impresserit Moyses Tabernaculo, singulisque ejus partibus. Abulenſis ea de re disquiri Exo. 30. quæst. 12. & in cap. 4. quæst. 2. utrobique ait, Moysen intincto in unguento digito, formas aliquas in singulis tabulis Tabernaculi, vasis & utensilibus effigurasse, eoque ritu totum Deo phanum addidisse, quemadmodum nostrates Episcopi efformatis crucibus in singulis Templorum angulis, ea solent consecrare. Lyranus signanter ait, Moysen Crucis formam oleo expressisse, & sic Tabernaculum consecrasse. Verba ejus exscribo ex Postilla ad cap. 30. Exodi ad vers. 26. Non erat unguenda ista per totum, quia quantitas prædicti unguenti non sufficeret ad vigesimam partem; sed in quolibet angulo cum digito intincto in unguento fiebat quedam figura ad modum Tau T. Græci. Tantum Lyra. & quidem harmonice, & sacræ Scripturæ usui satis commode. Nam Cruce quæque sibi Deus destinasset, consignata constat. Cruce domus Israël à percussente Angelo præmunus novimus Exod. 12. 7. Cruce vel Tau frontes virorum gementium insignitas Ezec. 9. 4. Cruce signatos legimus servos Dei nostri Apoc. 7.

Crucis nota eo unguento impressa in Tabernaculo.

Lyranus.

Exod. 40. 32.

Sacro Tabernaculo majestas conciliata caelesti nube.

Magnifica munera oblata.

Ritus illi, Mariani Tabernaculi sanctificationi adaptatus.

1340 Tertio, peruncto, & consecrato divino Numini Tabernaculo Exo. 40. 32. Operuit nubes Tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majestate Domini coruscante; quia cuncta nubes operuerat. Idem prorsus contigit in dedicatione Templi Salomonici 3. Reg. 8. 10. & 2. Paral. 5. 15. & c. 16. 1. Sic sacro jam Tabernaculo auctoritas & majestas conciliata, dum caelesti signo, nube nempe, est splendida, sed densiori locum perfundente, quæ caelestis Numinis præsentiam contestatur, simul & curiosiores audacioresque hominum oculos compesceret, ne in mysteria cupidius sese penetraturos cõsiderent. Id nimirum utrumque ea nube, ea nebula, ea caligine præstitum.

Quarto, tam sacrum, tam augustum sanctuarii encænismum universi Israelitici Principes, tribuum nimirum Archiduces oblati certatim magnificis muneribus profecuti sunt. Denaria hæc haud piguit Moysen sigillatim percensere Num. toto c. 7. Principio bini Proceres singula plaustra obtulere, quibus singuli singulos boves jagassent. Deinde varia, sed à singulis Principibus munera singulatim per duodecim dies oblata; quæ non juvat ad mysterium symbolicè expendere; aliquid enim mihi debeo reservare. Satis hæc, superque fortasse dicta laconico ingenio cuipiam videbuntur.

1341 Haud difficile jam erit lectori, post superiorum explicationem, hos sanctificandi Tabernaculi ritus, Marianæ sanctificationi aptare. Primò, quod ad tempus, quo Tabernaculi munctio, & consecratio perfecta est, ob servo Theodoret admonitionem, nempe eo tempore peracta fuisse, quo Christus passionem subiit; eodem item, quo mundus est con-

ditus. Rectè ut in Maria symbolico Tabernaculo orbem refectum, suæque primæ felicitati revocatum intelligas, atque id per Christi passionem. Secundò, ut id apertius constaret, ea Tabernaculi consecratio meritò impressa in singulis ejus partibus Crucis nota absoluta est: nempe nihil in Maria sanctum, nihil Deo novo ac mirabili encænismo dedicatum est, nisi Christi cruce, ac meritis redemptionis consignatum. Tertio, quam acceptum supremo Numini Marianum Tabernaculum per hujusmodi consecrationem sit præstitum, augusta illa majestas, quæ illud sanctificatum complevit caelestis nubis signo, magnificè contestata est. Nempe tot caelestia in Maria signa præsentis semper Numinis videre erat, ut nemini dubium esse posset, cujusnam augustissimum illud foret Tabernaculum. Certè majestas ipsos Moysis oculos perstrinxit, quin ingredi aude- ret: nempe quod Marianæ sanctificationis præservatricis mysterium sapientissimos quosque ita latet, ut in illud penetrare nequeant, majestas efficit ipsius mysterii; gloriosa ipsa Numinis à prima dedicatione præsentia, quæ tanto Sacramento venerationem accupata est. Quarto, dum duodecim Israelitici Proceres diutissimis oblati muneribus, atque hostiis matæstatis, Tabernaculi sanctificationem religiosè celebrant, an non religionem illam præcludunt, qua summates etiam Ecclesiæ Evangelicæ Principes, Reges, Reginaeque muneribus magnificentissimis, atque opulentissimis donariis, purissimam Deiparæ sanctificationem certatim erant culturi ac pientissimè veneraturi? Hæc summatis levi Minerva.

§. II.

Totius hæctenus exhibitæ explicationis summa, & nexus cum antecedentibus.

1342 Claritatis gratia hæc subjungo. Diximus, primam Deiparæ sanctificationem per allusionem ad sanctificationem Moisaici Tabernaculi in Davidico hoc versu; Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus, fuisse prædictam. Deinde sanctificationem hanc cum Moisaica illa ex amussi contulimus. Ex universa collatione certò jam consistere existimamus, Deiparæ sanctificationem, eximiam à primæ culpæ corruptione fuisse præservationem: id verò ex symbolo illius unguenti docuimus, quo Moisi Tabernaculum dedicatum legimus: videlicet ex amarissima myrrha præservatrice; quo symbolo significatam docuimus Christi passionem primæ culpæ dulcedini, primæque naturæ nostræ corruptioni oppositam. Cinnamomum, calamum, & cassiam nobilissima antidota esse explicuimus; eorumque naturas & vires mirificè respondere atque obici ostendimus primi peccati partibus. Addidimus copiosissimam gratiæ mensuram per Olei bin expressam, quæ aromata illa ritè commixta, & temperata Mariano Tabernaculo dedicando, & consecrando admovit: nam per primam illam grauofissimam gratiam primario Oleo spontè fluente adumbratam, Christi præservatrice passio, ac merita omnia, quasi quoddam absolutissimum antidotum, Deiparæ præservandæ admota. Neque certum unguenti pretium mysterio vacare censuimus, quin immò consultò quæsitum, ut numerus ipse scilorum, quibus aromata unguenti

unguenti comparata sunt, annorum Jubileorū numerū mysticè explerent, ac prouide hanc Marianæ sanctificationem omnium Jubileorū epilogram fuisse complexam; imò ipsam esse perfectissimæ libertatis Jubileum. Quo autem expressius utramque sanctificationem conferremus, atque illam Moisaicam huic Marianæ committeremus, ritum etiam reliquum adnotavimus, nempe eodem die, quo Christus passionem erat subiturus, Moysis Tabernaculum fuisse consecratum: insuper, ut umbra imagini similior foret, illam etiam consecrationem designata ex unguento cruce fuisse peractam; quemadmodum Marianum Tabernaculum virtute Crucis inungendum, dedicandum, sanctificandum, & præservandum erat; divino Numine tunc temporis sacrarium illud Virgineum complente, toto item plaudente orbe. Hunc igitur Davidici hujus hemistichii, Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus, sensum esse exposuimus: habent enim illustres allusiones, ut eum per breves sint, unica sæpe, aut altera voce multa & magna soleant complecti.

Mariano Tabernaculo sanctificatio, flumen gratiarum in Ecclesiâ defluxit.

1343 Sed ut pretium expositione accrescat, juvat contextum totum Psalmi reuiscere, facilemque ac lenem Poëmatis defluxum explicando deducere; qui ut non minimus est interpretis labor, ita non posterior debet esse cura, non postrema dos exitura. Præcedens hemistichium hujus Versus erat, Fluminis impetus latificat Civitatem Dei. Hoc symbolici fluminis impetu copiosissimum divinæ gratiæ alveum totam Evangelicam Jerosolymam præterfluentem significari ostendimus. Sic verò sequens hemistichium hoc, sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus, cum præcedenti nexuimus, ut illius fluminis Ecclesiam interfluentis fontem in Altissimi Tabernaculo, imò in ipsa prima Tabernaculi sanctificatione, à Propheta fuisse statutum explicarem. Itaque ea est ratio à Davide assignata, propter quam divina gratia, instar immensi fluminis, Ecclesiam insuat, fecundet, omnique bonorum affluentia ubertim afficiat, quia sanctificavit Altissimus Mariam, quia illam instar Tabernaculi myrrhino præservavit unguento. Sic etiam Ezechiel cap. 47. 1. mysticum hoc gratiæ flumen Ecclesiam Evangelicam inundans dum describit, in ipsum fontem digitum intendit, sacrum nimirum sanctuarium. Et convertit me ad portam domus, & ecce aqua egrediebatur subter limen domus ad orientem; facies enim domus respiciebat ad orientem: aqua autem descendebat in latus templi dextrum ad meridiem altaris. Subtextit v. 12. Aqua de sanctuario egredientur. Has aquas S. Hieronymus disjunctum vel Christi doctrinam, vel gratiam interpretatur; quam nos potius amplectimur suffragati LXX. Interpretibus, qui vers. 3. sic transferunt: Transiis in aqua, aquam remissionis. Alias atque alias tumentes describit mystici fluminis undas atque ad diversa gratiæ, & sanctitatis genera Hieronymus revocat. Nos ad fontem totum alveum reducere intendebamus, quod & præstitimus, totumque divinarum gratiarum decursum ab intimo Dei Tabernaculo profuere ostendimus; hancque propriam causam cum Ezechiele & Davide reddimus, ob quam gratia lætissimo alveo in Ecclesiam Evangelicam deriveretur; Quia aqua ejus de sanctuario egredientur. Quod ab hoc Davidico loco mutuo desumptum dicere non du-

Ezechi. 47. 1.

bitarim: Fluminis impetus latificat civitatem Dei: sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus. Quasi statim ac sanctificavit Dominus Marianam hoc Tabernaculum, flumen gratiarum in Ecclesiam defluerit: ac si Maria præservatrix sanctificatio pignus fuerit uberrimarum gratiarum semper influentium; quandoquidem in ipsa Mariæ sanctificatione, in ipsomet sanctificato Tabernaculo, fons statuitur, unde gratiarum flumen in Ecclesiam diducitur. Imò Mariæ sanctificatio, & præservatio non solum à lætissimæ gratiæ fonte originem repetit, sed cum fontem ipsum haulerit, ipsa gratiarum origo quodammodo effecta copiosissimum effundit gratiarum profluum, ut passim Patres loquuntur. S. Hieron. Hom. de Assumpt. B. Mariæ: Verè gratiâ plena per quam largo Spiritus S. imbre superfusa est omnis creatura. Et S. Pet. Dam. Ser. 3. de Nat. Mariæ: O novum, & inauditum Angelicæ salutationis obsequium! Plenam appellat gratiâ, quia ipse in illam descendebat, per quam omni mundo collata est gratia.

1344 Cum originem Virginis ejusque mundissimam sanctificationem ad gratiæ flumen describit Psaltes, annè divinam sapit antiquam poësim? Sic nobiles quosque Heroicis temporibus ad illustrium fluminum ripas progenitos legere licet. Virg. Aeneidos 1.

Tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchisa Alma Venus Phrygiæ genuit Simoentis ad undam?

Statius Thebaid. 1. filiam Cratopi Regis cum Stati Apolline canit.

—Nemeæ ad fluminis undas. Valerius lib. 6. Argonaut. de Homeri ortu sic: Valeri.

—Scythicis quem Jupiter oris Progenit, viridem Maracem, Tiberinaque juxta ostia.

Non ego poësim hanc à turpi aliqua repetâ origine, uti eruditus vir voluit. An à Moysè vetustissimo scriptore sumptum, qui ad Nilum expositus, inde à Regina adoptatus? Nam & Ezechiel vetus Poëta citatus à Clemente Alex. 1. Strom. sic Moysen inducit de Matre dicentem: Exposuit, ornato mihi circumdato ad fluminis ripas. Et infra de regina. Nomen dedit, Moyses, mihi, quod ad humida Ripa reperit sustulit flumine. Nec latuit Græcos veteres id: nam eam Historiam longè ante Perfarum imperium Græcis litteris fuisse consignatam, testatur Aristobolus lib. 1. ad Philoma. apud Clementem ibidem. An ergo dum David Tabernaculum Domini sanctificatum ait, id est, Mariam in gratia progenitam ad oras seu fontes fluminis divinæ gratiæ, eleganti schemate conceptionis suæ nobilissimam atque clarissimam progeniem commendasse voluit? Poëticum hoc, sed sacrum.

1345 Dices, multos extare Patres, eosque gravissimos, qui illum Davidicum Versum de Ecclesiæ sanctificatione interpretantur; & plures qui Tabernaculo Moysis sanctificato, ad quod Psaltes alludit, eandem Ecclesiam Christianam fuisse adumbratam, autument: qua ergo ratione nos de Mariana præservatrice sanctificatione symbolum vaticinium esse, statuimus? Respondeo solemne esse sacræ Scripturæ, eodem symbolo tum B. Virginem, tum Ecclesiam perfectissimam significare. Cujus Canonis multa ex Psalmis, Prophetis, & Canticis licebit certere exempla, quorum quosdam aliqui num. 249. Eam autem hujus divini consilii rationem observamus: quod tunc demum Ecclesia perfectissima futura sit, cum

S. Hieron. S. Pet. Dam.

Nobiles quique ex veteribus ad fluminum ripas progeniti.

Virgi.

Moyse ad Nilum expositus à Regina adoptatus. Clem. Alex.

Maria ad oras seu fontes fluminis divinæ gratiæ concepta.

Solent eodem symbolo Dei-para, & Ecclesia perfectissima significari.